



Serenissimo Principi  
C O S M O I I I .  
MAGNO HETRVRIAE DVCI  
Pontificias Theses  
S D V .  
Cosmus de sã Peyxoto .



So  
887-V



6589956 90M



1257/128 E. 88+V  
S E R E N I S S I M O

P R I N C I P I

C O S M O I I I .

MAGNO HETRVRIÆ DVCI.

*SERENISSIME PRINCEPS,*

**N**lle mihi jure succenseat, quod Celsitudinis  
Tuæ conspectum subeam, tenui adeò mu-  
nusculo litaturus, qui nesciat, litari animo  
Superis, non munere. Patrocinii Tui lucem  
ambire, ille mihi crimini vertat, qui solem  
montibus tantùm, & non vallibus, aut cedris solùm, &  
non myricis oriri contendat. Suæ lucis beneficium nulli  
denegat siderum Princeps, quem omnium utilitatibus  
Numinis Providentia destinavit: & suo quanvis Cælo  
non exeat, inde tamen radios subjectas in terras jacula-  
tur: usque adeò nullo locorum intervallo detineri bene-  
ficentia potest. Unde fit, quòd cùm extra Lusitaniam  
imperes, lucis beneficium Tuæ è Lusitania impetrare  
haud difficile sit: quis enim nesciat Te in Etruriam impe-  
rio, in Orbem beneficentia dominari? Quod experi-  
mento comperit universa penè Europa, quam lustrasti  
non tam passibus, quam beneficiis. Nam licet Majestatis  
splendorem apparatus modestia castigaveris, soli tamen  
frustra opposueris nubem, quæ cum illius radios tenet,  
majores reddit. Latere qui poteras, Princeps Serenissi-  
me, quem munificentia prodebat? Furari Te oculis  
hominum manum oportebat, non faciem; neque enim  
Prin-



1384 373  
Principem tam ex facie metiri solemus, quàm ex manibus.

Jamverò quid tibi gratius sistere possem, quàm literarium munus? Nullo, ut reor, alio tuam mihi benevolentiam facilius propitiavero; ex quo enim bonarum artium studia delicias tuas fecisti, qua te potissimum re demereri possumus, monstrasti. Primi sunt ingenii mei flosculi, nati illi quidem Conimbricæ; sed, ut adolescant felicius, & ut vernantius floreat, Florentiam tuam adeunt, florum urbem, & urbium florem (felicem ter, & amplius urbem! Quæ florentissimum nacta est Principem.) Cæterum si in illis pulchritudinem desideres, hanc rediment peregrinitatis cupediæ: ut enim ingenium sortitus es rerum peregrinarum studiosissimum, quidquid alieno ex orbe tibi sistitur, hoc saltem lenocinio displicere non potest. Dabis igitur, Serenissime Princeps, audaciæ meæ veniam: aperto siquidem Marte has Pontificii Juris Theses defensaturus, cujus potius, quàm MAGNI DVCIS patrociniū optarem? Sub quo fausta omnia mihi proclivè est sperare, nam nil desperandum COSMO DVCE, & Auspice COSMO.

COSMVS DE S<sup>A</sup> PEYXOTO.

C E R.